

Analekten

XV

In ¹⁾ capite uniuscuiusque libri antiqui non minus quam septem inquirere solebant. Hęc sunt illa septem: Vita, Titulus, Intentio, Qualitas, Numerus, Ordo, Explanatio.

Vita auctoris, ut ex eo opus commendetur.

Titulus operis, unde tractet vel cuius opus sit pateat, ne apocrifum, id est secretum, vel sine superscriptione, id est inauthorizabile, deputetur. Dicitur autem Titulus a Titane, id est a sole ²⁾, quia sicut sol totum orbem irradiat, ita Titulus sequens opus illuminat, vel etiam quia solus Titan a deorum abstinuit iniuria. Inter Titulum autem et prologum hoc interest, quod Titulus auctorem et unde tractet breviter innuit, prologus vero, quid et quomodo et quare scriptum sit, innotescat. Preterea Titulus auctorem, prologus vero docilem et attentum et benivolum reddit lectorem.

Intentio, quare scriptum vel legendum sit, innotescat. Est autem Intentio affectus animi circa materiam vel oratio, que animum maxime intendit libro legendo.

Qualitas scilicet metri quo genere vel qua discendi lege constet. Sunt autem Qualitates metrorum vel ^{a)} carminum ^{a)} diversę. Est Bucolicum, Traicum, Comicum, Satyricum, Liricum, Apollogeticum, Panagilicum, Epiticum, Epithalamum, Trenos, Epitaphium, Eleiacum, Eroicum omnium gloriosissimum. Est autem Bucolicon, id est pastorale carmen ³⁾ a digniore parte tractum, id est boum custodia ⁴⁾. Est et Traicum, quo publice res et potentum scelera depingebantur, dictum a tragós ⁵⁾, id est hircus; quibus ob viciorum feditatem exprimendam hirci dabantur, horum opus Traiedia dicitur; in qua sunt hori ⁶⁾, quod grece sonat ^{b)} montes, eo quod instar montis turgidam et declamativam habet magnitudinem. Est et Comicum, quo privatorum — id est singulorum ^{c)} —

^{a)} von der Texthand übergeschrieben. ^{b)} folgt getilgt in. ^{c)} id — sing. von der Texthand übergeschrieben.

¹⁾ T fol. 52b—53a. Vgl. o. S. 466.

²⁾ Zu Titan = sol vgl. Isidor., Etymol. VIII, 11, 53.

³⁾ Vgl. Isidor. I, 39, 16.

⁴⁾ Vgl. Papias, Elementarium doctrine rudimentum (s. o. Anm. 291) s. v. Bucolica u. Bucolicum carmen.

⁵⁾ ὁ τραγός; vgl. Isidor. VIII, 7, 5 u. Papias s. v. Tragos.

⁶⁾ Gemeint sind τα ὄρα.